

bus extra centrum hujus Systematis, ab ipso Tychone constitutus.

Quartò, nulla potest dari ratio, unde Sol tantam habeat potestatem seu virtutem ejusmodi Ingens Systema, secum, intra 24 horas, circumducendi, in quo tam dissita & immania corpora; & quidem hoc ita, ut quodlibet nihilominus singularem adhuc annuatim observet proprium suum cursum.

Quintò, cum ratione minimè convenit, quod Tycho sphaeram \odot describit longè minorem, sphaeris h , z & 8 ; Hâc enim ratione confundit eorum spiras: Cautior in hoc Ptolemæus, qui cuique Planetarum proprium assignans deferentem, spiras eorum, sphaeris ita inclusit, ut eas non egrederentur.

Sed quia hâc de re alii tractarunt, nimir. Keplerus in Epit. Astron. Copern. l. 4. Philolaus de Syst. Mundi c. 2. 3. 4. & l. 4. c. 38. Dan. Lipstorijs in Copernico rediv. c. 7. Mich. Havemann. in Epit. sideralis scientiæ, &c. Ideoque nostrum non est hoc loco plura proferre; Cau-

Authores qui contra Tychoniam Systema scripserunt.

fas solummodo addemus præcipuas, per quas Tycho permotus, ut tale novum Systema adinveniret; In Ptolemaico enim tolerare non potuit: Cælestium Orbium inconcinnam distributionem: tum supervacaneam assumptionem, tot, tantorumque Epicyclorum pro salvandis retrogradationum & stationum phænomenis: tum absonum illud, quod in eo Systemate circularis motus æqualitas, non circa proprium, sed circa alterius eccentrici centrum admittatur: & soliditas sphaerarum statuatur &c. Copernicano verò objecit potissimum, quod, etiamsi in eo nihil adversus principia Mathematica delinquatur, esset tamen, tam contra principia Physica, Terreno globo (*in se*) corpori gravi, pigro inhabilique ad movendum, motum adscribere: quàm contra S. literas, Terræ stabilitatem, ut putat, confirmantes. Et denique capacitatem illam (sideribus prorsus vacuum) inter orbem sc. h , & 8 . Sphaeram, judicavit propem. immensam.

Causa, quibus Tycho motus aliud Systema adinvenire.

CAPUT X.

De Systemate alio, in quo Terra collocatur in centro Mundi, Terræque attribuitur Motus circa proprium axem spatio 24 horarum.

Est & quartum Systema Mundi, cujus primi Authores Heraclides Ponticus, item Ecphantus, & Plato dum juvenis esset; quos postea secuti sunt Origanus, Longomontanus, ac nuperrimè M. Michael Havemannus Ministerii Stadenfis senior, in Astræâ sive siderali scientiâ, & alii. Hi detinent Terram in centro Mundi, axe quidem & centro immobilem; assignant autem ei motum diurnum ex occubitu in orientem 24 horis, & exinde fieri, ut cæteraque sidera videantur eodem temporis spatio, volvi in occasum (secundum Opticum illud principium: Latorum, ex quo fertur oculus, ea quæ feruntur æquè velociter atque oculus, oculo quiescere videntur, quæ verò tardius, in contrariam partem moveri, quæ celerius, in præcedentia ferri videntur. Vitell. lib. 3. prop. 135, 138. Euclid. Opt. th. 59.) Cuique autem Planetarum tribuunt motum proprium in spatio liberrimo; ut & Firmamento, motum illum lentum præcessionis Æquinoctiorum, hoc est, revolutionem unam,

intra annos 25000, de quâ superius cap. 2. etiam dictum est. Hunc motum vocant, Motum secundum, eumque liberum ab omni violentia, liberum à contrarietate, errore & inconstantia pronunciant: ita ut nullus Planeta in Cælo, se uno die celerius, altero tardius moveatur, seu qui jam verè stet, mox progrediatur, mox cancrino more regrediatur &c. ut Ptolemaici docuerunt. Quando verò rationes debent addere, (1) Quare Errones modò majores, modò minores nobis appareant, ac consequenter, non semper unam eandemque servant distantiam à Terrâ, sed aliquando propius Terram accedant, aliquando longius ab illa recedant? Item quare nunc tardius, nunc velocius incedere appareant? Dicunt has apparentias contingere, propter Eccentricum. Ex. gr. dum Planeta (secund. illorum opinionem) in circulo, qui non ex centro Mundi seu Terræ, sed ex alio quodam describitur, centrum suum circummiret; necessariò nobis aliquando propinquior, aliquando remotior fieret;